

1.28.4

*Imppp. Valentinianus Theodosius et Arcadius AAA. Severino comiti sacrarum largitionum.*

Omnia corporatorum genera, quae in Constantinopolitana civitate versantur, universos quoque cives atque populares praefecturae urbanae regi moderamine recognoscas.

*D. XVII k. Mai. Mediolani Tatiano et Symmacho cons.*

[a. 391]

1.28.5

*Imp. Theodosius A. Constantio pu.*

Primicerius adiutorum tuae sedis officii per biennium, quod in eodem gradu ex consuetudine praeae ordinationis emeruit, curam insuper personarum usurpatione omni atque ambitione cessante suscipiat: hoc etiam adiecto, ut, si quis ex memorato ordine vel condicionis humanae fine praeventus vel alia quacumque ratione militiae gradum propriae amisisse monstrabitur, solitae ambitionis iniuria vacante locum is, qui iuxta matriculae veritatem sequitur, obtineat.

*D. XIII k. Ian. Constantinopoli Victore cons.*

[a 424]